

cantur. Hinc verum manet, quod homo impius, scrutans Scripturam S., naturalibus viribus ad notitiam rerum Divinarum pervenire nequeat. III. Si impius non potest esse illuminatus, *aut* a DEO demittitur efficacia Scripturæ Sacræ, quando impius ad eam accedit, & sic impius ad fidem pervenire nequit, quod tamen DEUS serio vult, Act. XVII, 30. 31. sed ne quidem imminui efficaciam Scripturæ S. a DEO, præsumi posse, probavi in Dissertatione mea sub rubro: An Sacramentum Altaris revera conferat fidem? § 3. & 4.; *aut* efficacia Scripturæ S. dependet a pietate. Verum in hoc duo sunt absurda 1. Quod sine illuminatione aliquis pius esse possit. 2. Quod Verbum DEI in se & sua natura efficacissimum, a quo pietas efficaciam suam habet, suam a pietate accipiat efficaciam.

PRÆJUDICIUM V.

Christum non omnibus hominibus salutem promeruisse.

Arrige aures Syncretista, qui pro Unione Religionis Lutherano-Evangelicæ cum Calvinismo multum, proh! sudas; arrige, inquam, aures ad hoc horrendissimum præjudicium, quod adhuc hodierni Calviniani, utut interdum contrarium loqui videantur, fovent atque defendunt. Ne vero id ex præconcepta opinione dixisse illis videar, ex recentissimo Scripto, cui omnes Calvino-Reformati in Marchia Regiæ Majestatis